



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Franciscus Conf. 4. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

4.Octob. VITÆ SANCTORVM. 485  
viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenam,  
quâ se ipse ad carcere suum beatum damnave-  
rat, egredi antro posset; eodem tempore Martia-  
nus ipse inter famulas Cælitum manus delatus ad-  
fuit; quo abeunte, cùm animo suspicio præstigia-  
rum suboriretur, altero miraculo ruptæ compedes  
facultatem dedere specu prodeundi, iterumque  
Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam  
vincula exuit anno supra quingentesimum vigesimo  
secundo. Ex Meneis.

*Antiquus hostis terrarum locis à tentatione non ex-  
cluditur: quia si in Paradiſo hominem stravit, quis lo-  
cus extra Paradiſum esse potest, in quo mentes hominum  
penetrare non valeat? In ſola ergo Creatoris nostri pro-  
tectione fidendum eſt. S.Greg.l.8.Regist.c.45.*

S.FRANCISCUS CONF. 4.Octobris.

**H**ic vir, hic, FRANCISCVS eſt, sanctioris spes  
altera Romæ, & qui unà cum altero Atlante  
Dominico lapsurum orbem firmavit. Mercator  
adhuc fœnus facere etiam apud pauperes scivit,  
neque umquam pluris vendidit ſua, quam cùm  
gratis dedit. Evocatus in ſomno ad arma cruce  
inſignita, cùm novam militiæ tefſeram non agno-  
ſceret, ab ipſo Crucifixo eſt edoctus. Ducem ita-  
que nudum Christum ſecutus, primam pugnam  
(uti ferè amat fieri in hoc ſacro bello) cum patre  
habuit. Et vicit avaritiam paternam, cùm non  
tantum omnibus bonis, ſed etiam vestibus ſe co-  
tam Antiftite exuit, illis verbis hostem proſter-  
nens: *Patrem hactenus te dixeram: nunc denique ni-  
hil intercedit, quin verius dicam, Pater noster qui es in  
celis. Quis credat? Sic nudus tum denique arma-  
tum ſe probè credidit, & scriptis ſociis orbem ex-*

X 3 pugnavit,

pugnavit: expugnatum, si agnoscimus, paupertate suâ ditavit. Porrò animi candorem in viro, scis Lector, nives probarunt, in quas se abjecit; & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum mersit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo D<sup>E</sup>V<sup>M</sup> ardebat amore? Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortalium, sed inter sceleratos principem dicit. Mariæ additum fuisse ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt) absuluit. Sed frustrà sum. Herculem ego in hac digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicies. Ex D. Bonav.

O quam gloriosum & magnum, habere in celis Patrem! o quam sanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere spousum! o quam sanctum & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile, habere talem Fratrem, qui posuit anima suam pro ovibus suis? Ex Epist. S. Francisci.

### S. THERESA V. 5.Octobris.

**Q**uid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce, eia infantia rete vel ab infante THERESA fari. *In eternum! in eternum! in eternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos scilicet puerilem senectam, non senem æternitatem in animo & lingua gerimus, dissertissimi infantes. At THERESA parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura, & brevi morte longam æternitatem auspicatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrē voluit.

Illa